Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



60.

134) Hanthaler in Fastis Campilil. ad an. 1244, ex aliis, ibi citatis. Manriques serie Abb. Cisterciensium.

135) Idem ibidem in serie Abb. Cisterciensium.

136) Idem in serie Abbatum Pontiniscensium. Hanthaler Fast. Campil. ad an. 1240. Festum hujus eximii Sancti celebratur in toto Ordine Cisterciensi die 16 Novembris: adquam Henriques Menolog. plurium auctorum nixus testimonio: Pontiniaci in Gallia depositio sancti Edmundi Archiepiscopi, qui pro libertate Ecclesiastica exul, et multis tribulationibus vexatus, habitum Cisterciensem ibidem devotissime assumsit, et vitam virtutibus et miraculis admirandam, usque ad felicem consummationem inter Monachos Monachus egit. Hundius Metr. Salisb. t. III in Tegernsee.

136*) 137) Vide infra ad C. X.

138) Thomas Cantipratanus in ejus Vita. Ex eo Surius ad XVI Junii: quo etiam festum illius celebratur sub ritu XII Lectionum. Ad eandem diem Martyrologium Romanum, et Henriques in Menol. Cisterc.

138*) Bruschius Monasteriol. German. Cat. Cosarcensis Henricum anno 1239, 7 Octobris defunctum refert.

139) Haec bulla a Thoma Episcopo Sudensi recognita exstat in Tabulario Stamsensi, hujus tenoris: Universis presentes litteras inspecturis, Frater Th. Sudensis Dei gratia Episcopus Salutem in domino sempiternam. Noverit Universitas vestra, quod nos Privilegium Innocentii pape quarti, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed vera bulla in serico bullatum Vidimus, et diligenter inspeximus in hec Verba.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati Cistercii, eiusque coabbatibus et conventibus Universis Cisterciensis Ordinis. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est, et honestum, tam Vigor equitatis quam ordo exigit rationis. Ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod licet ordini vestro per privilegia sedis apostolice sit indultum. Ut nullus episcopus seu alia persona ad Synodos, vel forenses conventus, nisi pro fide, Vos ire compellat, aut in Vos, vel monasteria,